iuvat hic exclamare o rem admiratione dignissimam!
aperiant suos ad hoc spectaculum oculos pigerrima
Martiæ mancipia, ecce merces, sed labor antecedit,
ecce dulce donum; sed non nisi onus ferenti datur,
affert Vrsus immensum truncum, emorituris iam iã
flammis iniicit, Gallus morigerum operarium re-
muneratur, panem laboranti debitum porrigit, ille
nec mora hiantibus faucibus porrectum arripit,
deglutit, donatus ita dimittitur, discedit, cernitis
Auditores quibus Gallus panem suum præbeat? ni-
mirum laborantibus, audeat nunc, quisquis cupit, vale-
dicere adversis omnibus, ad iucundiora nusquam per-
veniet, Megarenses sponsum cum sponsa copulaturi
eosdem à templi vestibulo usque ad altare spinis conculca-
bant, indicantes neminem ad gaudia pervenire nisi
per tolerantiam adversorum, hinc etiam recte
dura omnia et aspera prædici ei iussit sanctissimus
Benedictus qui ad suam professionem aspirat, non
utique iussisset nisi maximam utilitatem in illis latere
nôsset, accipe igitur quisquis es quæ tibi porrigit,